



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXLV. Cur Christus Dominus etiam post gloriosam suam  
Resurrectionem quinque SS. vulnera voluerit conservare?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

## CONSIDERATIO CXLV.

Cur Christus Dominus etiam post gloriosam resurrectionem suam quinque SS. Vulnera voluerit retinere.

*Ostendit eis manus & pedes. Luc. 24. 40. Et latus. Jo. 20. 20.*

I.

Ma. 63. 2.

**C**hristi Domini de morte victoris, ac de Gentibus sibi subactis triumphantis speciem quondam vidit, ac descripsit Isaias Propheta, ubi rogatus Christus ab Angelis: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Respondit: *Torcular calcavi solus.*

SS. Patres hunc locum communiter accipiunt de Christo resurgente, & in cœlum ascendente: Torcular passio Christi fuit, quo ejus sanguis expressus est, vestimenta autem ejus sacra humanitas a Judæis eruentata, quam cœlo intulit, ubi etiamnum quinque SS. Vulnerum cicatricibus remanentibus est rubicunda. Sed quæres hic, cur pierrissimus orbis Redemptor Christus quinque sua sacratissima Vulnera etiam post gloriosam resurrectionem & ascensionem suam in glorificato suo corpore voluerit retinere? Causam in præsentem dabimus.

Ma. 19. 12.

2. Isaias Propheta de quinque civitatibus, quæ miseris mortalibus pro refugii loco in omni casu inservirent, pulcherrimum tulit vaticinium: *In die illa, inquit, erunt quinque civitates in terra Ægypti - - civitas Solis vocabitur una.* Per quinque istas refugii civitates rectè adumbratae sunt quinque SS. Vulnera Jesu, quæ ideò post gloriosam suam resurrectionem & ascensionem in corpore suo glorificato retinere voluit, ut in omni occasione, in vita & in morte nobis essent loco refugii, ac præsertim *civitas Solis*, per quam Vulnerum Sanctissimi lateris nobis præsignatum est Sole rutilantius. Advertit Auctor, qui vitam S. Thomæ de Villa Nova conscripsit, de optimo quodam ac pierrissimo Asceta ex Ordine religioso Fratrum Eremitarum, quòd ad studia, orationes ac

Lyr. de imitat. Chr. pat. l. 5, c. 6.

contem-

contemplationes suas de nocte nullo indigeret lumine, sed vulnus laterale Crucifixi Redemptoris illi sufficientissimum etiam in mediis tenebris subministraverit lumen ac insolitum splendorem. Interrogatus de hoc à Superiore, respondit: *Lumen sibi oranti è latere crucifixi venire.* O felix studium, o felix oratio de nocte, cui lucerna est Agnus.

3. Olim si quis delinquens ad ejusmodi designatam fugit refugii civitatem, salvus erat, sed si egrediebatur, se vitæ exponebat periculo, & impunè poterat occidi. Semei consule Davidi quondam rebellem, cui Salomon pro civitate refugii assignavit Jerusalem: *Ædificatibi domum in Jerusalem, & habita ibi: Et non egredieris inde huc atque illuc.* Verùm ubi sui ac mandati regii oblitus, incautè egressus est, sine mora mortis poenam subiit: *Fussit itaque Rex Banaia filio Jojada: qui egressus, percussit eum & mortuus est.* Ita quicumque extra benedicta Christi D. Vulnera inventus fuerit, & has securissimas refugii civitates deseruit, periculum suæ æternæ subit salutis, & mortem animæ non evadet: *Quacumque die egressus ieris huc & illuc, scito te esse moriturum.* O sacratissima piensissimè Redemptoris nostri Vulnera, ideò reservavit vos, ut peccator habeat quò fugiat, & justus, in quo habitet.

4. Erat quondam David in deserto Moan ab hostibus undique circumcinctus, & exercitus Saulis ex omni parte diffusus, ut eum quæreret, perderet, mactaret: Cùm igitur nullus ei pateret effugii locus, ad Dominum vocem & animam suam levavit: *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias.* Et qualis ista domus refugii? R. SS. Vulnera Christi, quæ ipse non obscure prævidit, dum de illis vaticinatus est: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Supra quod egregiè Cardinalis Charensis: *Foderunt, inquit, non dixit, transfixerunt, sed foderunt, quia ex profunda hac excavatione adinstar fossæ exprimitur fructus, qui inde profiliit, fossis enim agros circumdamus, ut ex iis fructus copiosos exhauriamus.* De qua Vulnerum Christi fossione & Hugo Cardinalis illud Esaiæ 2. intelligit: *Ingrederi in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* En pulcherrimam rationem, cur Christus Dominus etiam post gloriosam resurrectionem quinque sua SS. Vulnera voluerit retinere, ut in iis usque ad consummationem sæculi optatam possumus invenire asylum & domum refugii.

5. Progrediamur ulterius. Finito diluvio DEus pactum inivit cum Noè & posteritate ejus de non amplius inducendo diluvio, pactique tesseram dedit iridem seu arcum tricolore: *Arcum meum posui in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram: Cùmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis sempiterni.* Arcus iste præsignavit Christum crucifixum & nunc gloriosum in

Eccli. 43. 12. coelis? & quàm speciosus est nunc in splendore suo, quem si Pater respicit, ejusque contemplatur SS. Vulnera, recordabitur foederis sui sempiterni, quod pactum est inter DEum & omnem animam viventem: Et ideo resurgens Dominus hæc sua sacrata Vulnera in corpore glorificato retinere voluit, quia plurimum valent ad impetrandam nobis gratiam & æternam salutem, dum semper interpellant pro nobis: *Ut appareant*, ait S. Cyprianus, *vultui Dei pro nobis, & ut semper servata in corpore plaga salutis humana exigant pretium.*

S. Cyprian.  
fer. de baptif.  
Hebr.

6. Agglomeremus argumenta. Reservavit sibi Dominus Iesus quinque sua SS. Vulnera. 1. Quia sunt quinque portæ templi & cæli, per quas intratur ad vitam. Erat quidem hoc divinum templum à Judæis in passione dirutum, sed in resurrectione à Christo reedificatum: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* 2. Sunt quinque purpureæ ac preciosissimæ cortinæ, quibus olim arca Dei tangebatur: Sic divinitas habitans in humanitate Christi, tanquam in arca & tabernaculo suo per quinque SS. Vulnera contexta est. 3. Sunt quinque columnæ deauratæ lignorum Setim, ante quas ducebatur tentorium: quarum erant capita aurea & bases æneæ. Columnæ fortissimæ fidei nostræ orthodoxæ sunt SS. 5. Vulnera Salvatoris nostri, per quas in fide & in omni tentatione solidamur, ac confirmamur. 4. Agnos quinque & arietes quinque olim in dedicatione tabernaculi offerebant duodecim principes duodecim tribuum Israel; Sed nulla DEO T. O. M. magis placet oblatio, quàm quinque SS. Vulnerum dilectissimi Filii sui, agni illius immaculati & incontaminati. 5. Joseph Pro-Rex in Ægypto dilecto fratri suo Benjaminino quinque preciosas stolas dedit: Quinque SS. Vulnera sunt quinque nostræ stolæ gloriæ, quibus vestiti, & in sanguine agni dealbati, securè ad conspectum Dei perveniemus. Et quid, obsecro, non speret reus, si pro se habeat quinque istos potentissimos advocatos apud Deum Patrem: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum justum, qui non tantum verbis, sed & vulneribus pro nostra perorat salute? Audiamus Rupertum: Potuit Dominus Iesus virtute, quâ surrexit, clavorum, & lanceæ peniculis extirpare vestigia, sed servanda erant oculis paternis, decencia Filium Dei, charitatis & obedientiæ signa veneranda, nostra causa patrocinia, nostrique amoris æterna sacramenta.*

1. Jo. 2. 1.

Rup. lib. 4.  
in Joan.

7. Et quid dico ulterius de his 5. Sacratissimis Vulneribus, quæ Dominus Iesus de morte triumphans, ac resurgens sibi in peculiarem gloriam & ad omnium mortalium salutem reservavit? Nota est ista parabola, & in Ecclesia Dei satis decantata, atque ab ipso veritatis ore in solatium animarum nostrarum prolata, ubi quinque prudentibus

Virgi

Virginibus, quia quinque habebant ardentes lampades, sine mora accessus etiam media nocte ad coelestes Agni nuptias permissus est: *Media autem nocte clamor factus est.* (Observa: Clamor iste significat turbam Archangeli suscitantis media nocte mortuos à sepulchris.) *Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes Virgines illa, & ornaverunt lampades suas? Et quid sequitur? Venit Sponsus: Et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias.* Caeteris quinque fatuis Virginibus, quia non habebant similes quinque lampades ardentes, neque oleum in vasis suis, à Sponso rejectis, & in orcum ablegatis: *Clausae est janua.*

g. Doctissimus Franc. Quaresmius, quòd per quinque ardentes illas lampades quinque gloriosa Christi Sponsi nostri Vulnera intelligantur: *Quinque, inquit, ardentes lampades Virginum prudentum quinque Vulnerum Christi figurae sunt.* O felix illa anima, quae ardentem amorem erga haec SS. quinque Vulnera usque ad finem conservat, quia sunt trophaea Christi & nostrae victoriae: Quia roborant nos in fide, tum in vita, tum in morte: Quia sunt claves caeli, & claustra inferni: *Ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus. & ecce, sum vivens in saecula saeculorum, & habeo claves mortis & inferni, imò & caeli:* Quia aeternae sunt nostrae deliciae & dulcedines: *De forti egressa est dulcedo,* quid autem fortius illo leone de tribu Juda, & quid dulcius melle, quod de ore illius & 5. SS. Vulneribus in Beatos promanat? Proinde

omnes Electi in aeternum cantabunt: *Dignus est Agnus, qui &c.*

